Sigismundus primus rex Polonie, Christierno regi Danie.

121

Serenissime princeps et domine frater et affinis noster chanissime. Accepimus literas vestre serenitatis, quibus de subditis nostris Gedanensibus queritur, quod regnum eius armis impetant, postulans à nobis ut nos iuxta fedeva nostra adversus illam geramus, et subditos nostros ab hac impetitione regni sui continearnus. Dilectissime frater noster, persuasum habeat vestra maiestas, nos illi ac eius regno omnem bonum statum ac successum favere, nihilque nobis molestius esse in moderno totius christianitatis discrimine, quam christianos inter se digladiari. Itaque volentes causam huius controversie inter vestram serenitatem, et cives nostros Gedanenses cognoscere, ipsos Gedanenses ad nos advocavimus, qui recensitis vetustis fedenibus et pactis, inter se et predecessores vestros observatis, recensitis etiam studiis suis, quibus maiestatem vestram sibi demereri semper curaverunt, gravissima querimonia nobis exposuerunt, quoniam illos contra federa ac omnem equitatem premat, navium mercium que suarum detentione, thelone

theloneorum auctorum exactione, captivi-
tate et servitute hominum suorum, ac
eorum in aliena fora evocatione, empo-
rii in eorum perniciem institutione, ca-
nalis et transitus marini contra privi-
legia exclusione, ac aliis multiplicibus
iniuriis, propter quas coacti sunt arma,
ad se et iura sua tuenda, sumere.
Nos his auditis, utcunque molestissimū
nobis sit, subditos nostros premi, et ex-
perti simus, quantum robur habuerint
apud maiestatem vestram foedera et con-
iunctio nostra mutua; tamen nos ipsa
foedera ex nobis firmiter observare, et
communi pari rei christianæ adesse vo-
lentes, constituimus brevi oratores no-
stros ad vestram serenitatem mittere, ad
eam differentiam modis decentibus com-
ponendam, nostramque amicitiam et fæde-
ra inter nos diligentius obfirmanda. Quod
ut commodius ad effectum venire pos-
sit, utque etiam in hac re maiestati ve-
stre gratificemur; continebimus ipsos cives
nostros Gedanenses, hinc ad festum san-
cti Georgii proxime futurum, nè quid ho-
stile adversus illam et eius regnum in-
terim committant, id quod etiam vestra
serenitas fauere dignetur, nè illi intercessio-
ne et mandato nostro freti, ad aliquod
dispendium rerum suarum venirent. Verum

quia

quia maiestas vestra cum ipsis Gedanen-
sibus et aliis, hostilitatem in presens
exercat, et fortasse multos milites habet
per mare et terram vagantes, ideo nos
volentes prospicere, ne nuntii nostri ad ve-
stram maiestatem mittendi, aliquam indigni-
tatem vel discrimen incurrant, postulamus
ab illa, ut pro eisdem nuntiis, literas
securitatis seu salvi conductus, per istum
nuntium nostrum ad nos quantotius
mittat. Tandem rogamus plurimum ma-
iestatem vestram, ut hos nautas, qui
iam pridem cum navibus et rebus su-
is, venerunt in captivitatem vestram, tan-
dem liberos dimittatis, ut tuto ad do-
mum suam, unà cum rebus suis re-
dire possint. Quo faciet maiestas vestra
rem pro mutua vicissitudine sibi conde-
centem et honestam, nobisque gratissi-
mam, quam illi vicissim omni gra-
tificatione volumus referre, valeatque fe-
licissimè maiestas vestra, et nos dili-
gat. Datum Cracovie die octava Febru-
arii, anno Domini millesimo quingente-
simo vigesimo tertio, regni nostri anno
decimo septimo.